TECHE
UDINE

MANOSCRITTI

FONDO JOPPI

Manoscritto n. J_MSS_0700

I manoscritti che compongono compongono il fondo, assieme alle migliaia di testi a stampa - compresi rari incunaboli e cinquecentine - il Fondo Joppi, sono quasi esclusivamente di interesse friulano. La raccolta si è formata nell'arco di una sessantina di anni grazie alle ricerche di Vincenzo ed Antonio Joppi.

Collocazione:

Biblioteca Civica "Vincenzo Joppi", Udine - Inventario dei manoscritti del Fondo Joppi
https://www.techeudine.it/fondo-joppi
https://www.sbhu.it/

700

in nomine

IN CHRISTI NOMINE AMEN.

UNIVERSIS, et singulis præsens hoc Publicum Doctoratus Privilegium visuris, lecturis, et audituris Nos Sanctes Abbas Veronesius Patritius Venetus J. V. Doctor Canonicus Thesaurarius Patavinus, et in Episcopatu Paduæ Emi, & Rmi D. D. Caroli Tituli Sanctæ Mariæ in Ara Cœli S. R. E. Præsbyteri Cardinalis Rezzonico Episcopi Patavini Comitisque Saccensis, &c: nec non Generalis Privilegiati Antiquissimi, ac Celeberrimi Archigymnasii Patavini Apostolici Cancellarii Dignissimi in Spiritualibus, ac Temporalibus Vicarius Generalis, Salutem in E. O, qui est omnium vera Salus.

Apud Antiquam, et praeclaram Urbem Patavinam, quae velu=
ti omnium Scientiarum Alumna per Italiam universam
inclyta Clarissimorum Doctorum auctoritate, atq; peritia
siderëis virtutum omnium splendoribus obtinet Principa-
tum illos duntaxat ad summum Doctoratus gradum, et Magis-
terii dignitatem quo caeteris hominum generibus praeferun=
tur, post diuturnos labores, atq; vigilias prosilire contingit, qui
examinis rigorosi dubio in certamine probari apud univer=
sos Mundi Principes consulendo, Urbes, ac Nationes Juris au=
ctoritate regendo, resq; publicas gubernando singulari hono-
re, et Privilegio digni rectè possint à cunctis merito judi=
cari. Quatenus eorum exemplo Socii, et Posteri ad capessen-
dam virtutem, ac summae probitatis, et laudis decus hono-
re, et gloria accenderentur.

Significamus itaq; vobis, et harum serie fidem facimus, et at-
testamur, quod Die Martis XXIX. Mensis Decembris, Anno
MDCCXXXIII. Indictione XI. Nos Vicarius antedictus au=
ctoritate Illmi, & Rmi D.D. Joannis Archiepiscopi
Minotto Otthoboni, tunc Episcopi Patavini ex sua
Pontificali Dignitate competente tam ex antiqua, et appro-
bata consuetudine Studii Patavini, quam vigore Privile=
giorum Apostolicorum felicis recordationis Sanctissimo=
rum D.D. Urbani IV. Clementis VI, & Eugenii IV. Sum=
morum Pontificum, qua fungimur in hac parte sub Regimi=
ne Illmi, & Generosis.mi D.D. Michaelis Angeli Zana=
dio Vicentini, tunc Syndici Meritiss.mi Almae Universi=
tatis D.D. Juristarum Celeberrimi Patavini Archigym=
nasii per venerandum Collegium Excellentiss: J.V. Doctorũ
et Professorum ejusdem Archigymnasii Rev: D. ANGELUM
CAPRA Patavinum Filium D. Caroli, qui post longa deniq;
Studia, et vigilias, variaq; Ejus probitatis, et eruditionis
documenta, ac uberrima testimonia, Fidem Catholicã ver=
bis juxta Bullae bonae memoriae Pii Papae IV. tenorẽ con=
ceptis, palam, et solemniter coram Nobis professus est, à Pro=
motoribus suis adductum, et Nobis oblatum ad subeundũ suum
rigorosum examen punctisq; Ei in Utroq; Jure hesterna die,
ut moris est assignatis diligenter, et acriter examinandum
coram Nobis, atq; excutiendum curavimus, qui locis persequen-
dis, argumentis tractandis, quaestionibus, et oppositionibus
clare solvendis, in omni deniq; sui periclitatione tam egre=
gie, prudenter, docte, honorifice, laudabiliter, excellenter,
Magistraliter, et Doctoreo more se gessit, talemq; ac tantã
ingenii, memoriae doctrinae, facundiae, caeterarumq; rerũ
quae in Consumatiss.mo Juris Utriusq; Doctore desiderari solent
vim ostendit, ut magnam sui expectationem, quam apud
omnes concitaverat, non solum sustinuerit, sed etiam longis-
sime superaverit, et ob eam rem ab omnibus Exc.mis dicti

Sacri Collegii Doctoribus ibidem continuo existentibus Unanimi=
ter, et Concorditer, Cunctisq: Suffragiis, ac eorum NEMINE PE=
NITUS, atq: PENITUS, PENITUSQUE Discrepante, aut Dis=
sentiente, nec Haesitante quidem Idoneus, Aptissimus, ac Sufficien
tissimus in Utroq: Jure fuerit judicatus, ac merito quidem appro-
batus, sicut ex eorum omnium votis secreto in scrutinio Nobis
porrectis evidenter, et perspicue constitit. Nos igitur antiquam
sequentes consuetudinem, ac Privilegiorum sententiam Pa=
tavini Archigymnasii [habita ratione scientiae, dicendi facul=
tatis, methodi interpretandi, morum, ac virtutum, quorum
omnium certissimum specimen exploratus, et pertentatus
dedit] de consilio, et sententia omnium Excellentiss: praenomi=
nati Sacri Collegii Doctorum praesentium, ac postulantium pro=
Tribunali sedentes Eundem Rev: D. ANGELUM CAPRA Vi=
rum Doctiss: atq; ita universis naturae dotibus ornatum, ut
nihil amplius in Eo desiderari possit in DEI Nomine appro=
bavimus, et approbatum esse volumus pronunciantes, et
declarantes Eum esse optime habilem, Idoneum, ac dignũ
munere, dignitate, officio, et honore Doctoratus in Utroq;
Jure, Ipsumq: continuo Utriusq: Juris Doctorem fecimus so=
lemniter, et creavimus, ac per praesentes facimus, et crea=
mus, tribuentes Ei tamquam vere Idoneo, et optime digno,
et hac Promotione Dignis.mo potestatem, et auctoritatem, Ca=
thedram Magistralem ascendendi, atq: Insignia Doctora=
tus à Promotoribus suis petendi, et recipiendi, ipsisq: Promo=
toribus ea Illi impartiendi, ac praeterea Eidem plenam in
Domino concedimus facultatem, ut de caetero libere possit
hic, et ubiq: in toto Terrarum Orbe privatim, atq: publice in
Canonica, et Civili Sapientia legere, repetere, consulere, do=
cere, disputare, glossare, practicare, interpretari quaestio=
nes terminare, Scholas regere, Baccalaureos constituere,
omnibusq: et singulis uti frui, et gaudere Privilegiis, Prae=
rogativis, Exemptionibus, Immunitatibus, Libertatibus, Conces=
sionibus, Honoribus, Favoribus, Gratiis, ac Indultis aliis qui=
buscumq: quocumq: nomine censeantur, Quibus Romanae Cu=
riae Parisiensis, Salmaticensis, Papiensis, ac Bononiensis, atq
reliquorum omnium Studiorum Doctores, et Magistri ex qui=
buscumq: Apostolicis, et Imperialibus, seu aliis Ecclesiasticis
vel Temporalibus Concessionibus, aut Indultis gaudent, et
utuntur, vel uti, et gaudere possunt, ac poterunt quomodo=
libet in futurum juxta formam continentem vim, ac sen=
tentiã Privilegiorum Apostolicorum à memoratis Summis
Pontificibus huic Inclyto Studio, Almoq: Patavino Collegio
absolute concessorum. Quibus ita gestis, ac declaratis, ut su=
pra Praeclariss: et Exc.mus J.V. Doctor D. Carolus Pochini
Patavinus ad Lect: Criminalium, tunc Publicus Profes=

Professor, & Promotor Ejus in Utroq: Jure pro se, atq: Praecla-
rissmis et Excmis Juris Consultis videlicet D. Antonio Arri-
ghio Abbate Corsico, Adoptione Veneto ad Lect: Juris Cae-
sarei de sero in pmo loco D. Josepho Alaleona Maceratense
ad Lect: Juris Caesarei de mane in pmo loco, tunc P. Reu: D.
Nicolao Commeno Papadopoli Cretense ad Lect: Juris Ca-
nonici de mane in pmo loco, tunc P. Reu: P. D. Cypriano Bena-
lea Brixiense ad Lect: Juris Canonici de sero in pmo loco,
tunc P. D. Antonio Tertio Bergomense, tunc ad Lect: Juris
Caesarei de sero in secundo loco D. Petro Dominico Cessis Ber-
gomense ad Lect: Artis Notariae, tunc P. Deputatis, Memora-
tum per suam luculentiss: orationem petentem, et acceptan-
tem consuetis Insignibus, ac Ornamentis Doctoralibus ibidem
decoravit solemniter, et publice insignivit, tribuitq: Eidem
Juris Utriusq: Libros pmo clausos mox, et apertos, Annulumq:
Aureum digito Ipsius indidit, ac Birretum Doctorale pro Lau-
rea Corona Capiti Ejus imposuit, pacisq: osculum Eidem exhibu-
it cum Magistrali Benedictione - Sic itaq: summa cum laude
et honore plurimo Praefatus Reu: et Excmus D. ANGELUS
CAPRA, ad summum Doctoratus apicem Juris Utriusq: DEO
Favente pervenit. In quorum omnium, et singulorum su-
prascriptorum fidem, ac testimonium has nostras patentes
Privilegii Litteras manu nostra subscriptas, et per Cancella-
rium Episc: subscribi, ac Praefati Emi, & Rmi D. D. Card. Epis-
copi &c: Sigilli jussimus appensione muniri. Actum, et datu
Paduae in Episc: Palatio in loco solito Examinum Anno à Chris-
ti Nativitate MDCCL. Indictione XIII. Die vero Jovis XVII.
Mensis Decembris. Pontificatus autem Sanctissmi in XTO Pa-
tris, & D. N. D. Benedicti Divina Providentia Papae XIV.
Anno XI. Praesentibus ibidem D. Ignatio Badia, et D. Bar-
tholomaeo de Comitibus Patavinis, et aliis Testibus ad prae-
missa vocatis, et rogatis. L. D. O. M.

Ianuen Veronesius [illegible]

Ego Joseph Rossius S. Th. D. Not. [illegible]
Doctoratus [illegible] Rev. D. Angeli Capra Patavini
in utroque Jure nemine penitus dissentiente appro-
bati subscripsi ad Laudem Dei Optimi Maximi

Petrus Cavignato pro Cancellario Almae Universitatis Scripsit.

Anzola